ISAACI VOSSII

AUCTARIUM CASTIGATIONUM AD SCRIPTUM *DE* ÆTATE MUNDI.



HAGÆ-COMITIS.

Ex Typographia ADRIANI VLACQ.

M. DC. LIX.

BENIGNO LECTORI
ISAACUS VOSSIUS
S.

QUandoquidem adversarius meus in hac secunda velitatione valde æstive amictus in arenam prodiit, nec jam de victoria sed de securo aliquo receptu sit sollicitus, non recte facerem si expedite fugienti armatus instarem, ac jam lasso, anhelanti & defecto recens secutor, recentia intentarem vulnera, cum necdum priora occalluerint. Absque mucronibus totum nunc peragetur spectaculum; neque enim opus telis acutis, ubi periculum abest, & lædendi ablata est facultas. Quia tamen in recessu, ut fugam occultet & simpliciorum officiat luminibus plurimum concitat pulveris, contenti erimus facili flabello, quo nubeculam istam dissipemus. Tu vero, mi lector, si imaginario hoc pugnæ genere delectaris, sequere, & stramineas casas, in quibus se subinde recondit, mecum invise. Quod metuas nihil est, pro jaculis enim festucas tantum & paleas spargit. Sed age sequere, lubens præibo.


Qui primus receptui signum dat, is est Prologus. Is miras canit ambages, ut me mihi ipsi adversari evincat. Ubi hoc mirifice succesit, ostendere conatur idem plane esse si quis dixerit, Homerum & Virgilium incorruptos

ad nos pervenisse, *ac siquis diceret*, Homerum & Virgilium ex versionibus non esse corrigendos. *Quaenam hic similitudo? An non hoc est errorem errore confirmare? Ubi illa antiqua Homeri aut Virgilii versio? Si talis exstaret, quis dubitat, quin etiam plurima exinde loca possint restitui apud utrunque poëtam? Verba nostra nihil juvant. Latinissime enim dicitur* maxime incorruptus *pro minus corruptus. Quis igitur non intelligat id quod dixi, nullum librum incorruptum ad nos pervenisse; ex iis tamen qui maxime incorrupti ad nos pervenere, esse Virgilium ac officia Ciceronis?*

Quae de Aquila scripsi, dicit me descripsisse. Unde nam quaeso? Quam fatuum quod me reprehendit, quia meminerim illorum Massoretharum qui ante duo tria & quatuor secula fuerunt, quum tamen de eo conveniat inter Buxtorfium & Capellum! Quam ineptum quoque quod personam pro homine Latinum esse pertendit!

Frustra vero ad Buxtorfium ac alios Hebraici codicis defensores provocat. Viri illi insignes longe erunt prudentiores, quam ut impranso, imparato & qui semper & ubique se emungi patitur, causam suam committant.

CASTI-



CASTIGATIONUM AUCTARIUM.

EFFUGIUM PRIMUM.



Uia poſtremo capite, ubi nonnulla de diluvio ſubjunxi, dixi, libenter me iſta, libenter quoq; illa quæ præceſſere ſubmittere eruditorum judicio; bellam tibi carpendi videris reperiſſe occaſionem. Noli quæſo ſic putare, nihil enim frequentius hoc ſchemate etiam apud Ciceronem & optimos quoſque dicendi magiſtros: neque enim vitioſus pleonaſmus aut ταυτότης, ſed pura puta eſt anaphora. Tuum vero ſolœciſmum noli defendere, neque enim, ut exiſtimas, in una conſiſtit voce. Si hoc præter conſuetudinem tuam factum tibi videatur, mille tibi annumerabuntur, & quidem illo longe majores. Verum nos, non jam muſcas, ſed elephantas venabimur.

EFFUGIUM II.

LInguam Hebræam authenticam & originalem esse dixeras, Samaritanam vero traducem. Hic omissis reliquis ostendere conaris *linguam Hebræam recte vocari authenticam*. Ecquis dubitat? Non sic evades miser, ostendendum tibi fuerat codicem Samaritanum versum esse ex Hebræo, & linguam Samaritanam aliam esse ab Hebræa. Similis profecto mihi videris vastis istis animalibus, quæ cum volare nesciant, avibus tamen accensentur. Hæc inquam si vel sola colla frutice occultaverint, toto corpore se latere existimant.

EFFUGIUM III.

SI illi quos descripsisti errarunt, horum nihil te juvat error. Interpretatio ista *sicut Leo, &c.* stulta est, & Judæis potius quam Christianis digna.

EFFUGIUM IV.

UT semper, ita quoque hic errores erroribus stabilire conaris. Samariticam linguam eandem esse negas, atque sit Hebræa, quia nempe ex Perside advenere Cuthæi Samariæ incolæ; itaque

que Persicam & Samariticam linguam eandem fuisse. Desine bone vir nugari, & scito, Persas, Medos & Arabas istos, qui in Samariam translati sunt, postquam eam regionem incoluere, & legem, & sacra, & linguam Judæorum adsumsisse. Docere te hoc potuisset non Josephus tantum, aliique complures, sed & ipse Christus. Neque enim putabis ut opinor, illum Persice cum Samaritana muliere fuisse collocutum.

EFFUGIUM V.

DE Codice Samaritano vix tibi oculos aperui, & jam docere vis, qualis ille codex sit, qualis item quæ subjicitur paraphrasis, & denuo concludis Samaritanos Persice esse locutos.

EFFUGIUM VI.

QUandoquidem provocas ad eruditos, per me licet ut illi judicent, melius-ne tu oppugnaveris Josephum, an ego defenderim.

Metamorphosis Platonis in Chopinum omnino est lepidissima. Jamdudum illa mihi exciderat. Quæso dic mihi quot Chopinos chopinaveras, priusquam tam bellam fabulam, tam opportune proposito tuo accommodares?

EFFU-

EFFUGIUM VII.

Nihil hic promis, quod non ipsi quoque præmisimus, ubi Josephi Chronologiam examinamus. Tantum autem abest ut difficultates quas postea subjungimus dissolvas, ut illas ne adtingas quidem. De successione Pontificum per bis mille annos, à Moyse nimirum & Aarone, usque ad excidium templi, nullum relinquitur dubium. Status quæstionis circa id tantum versatur, quot anni secundum Josephum effluxerint à principio creationis, usque ad exitum Moysis. Dicis, vel ipso Josepho teste, intervallum hoc esse annorum fere trium millium. Verum etiamsi sursum deorsum jactes & revolvas hunc numerum, non tamen vel tu, vel quisquam alius efficiet, ut hic calculus subsistat. Nam si rationes Josephi quam proxime ad supputationem hodierni codicis Judaici velis subducere, colligentur tantum anni 2493. His si addas annos Pontificum bis mille, fient anni 4493. Quomodo itaque verum erit quod Josephus conscripsit historiam quinquies mille annorum? Jam vero siquis dixerit Josephum in annis ante diluvium conspirasse cum LXX interpretibus, & numerasse 2256 annos; in eo autem intervallo,

quod

quod à diluvio uſque ad finem Moyſis effluxit convenire cum hodierno Iudæorum calculo, ac tribuiſſe huic ſpatio annos 837, jam colligentur à principio creationis, uſque ad obitum Moyſis anni 3093. Si ſic ſtatuamus, quomodo verum erit quod dixit, non exſpiraſſe totos ter mille annos ab initio Adami ad finem Moyſis? Clarum itaque quod neuter calculus ſubſiſtere poſſit. Poſteriorem tamen rationem qui amplectuntur, illi planiorem, ut diximus, inſiſtunt viam. At vero, qui etiam eos annos, qui ante diluvium effluxere, ad normam hodierni Hebraici codicis reformare conantur, iſti plane delirant.

EFFUGIUM VIII.

ALiquot jam Samaritanas literas dicit, non multum deſcrepare ab Hebræis. Cras una forſan erit & tandem nulla, & ſic optime inter nos conveniet.

EFFUGIUM IX.

NImium clara ſunt tua verba, quam ut ea eludere poſſis. Ut tamen caſſes in quos incidiſti evadas, in alios te præcipitas multo prioribus nequiores. Prius in numeris tantum peccabas,

nunc vero etiam ratione & intellectu de ſtitui oſtendis. Quid enim ex iſtoc tuo ratiocinio efficies, Cain & Abel ſi anno Adami 10, vel 20, vel 30. vel etiam 50. nati ſunt, jam verum eſſe non poſſe, ut Seth natus ſit anno 230?

EFFUGIUM X.

VAlde metuebam ne laudaturus eſſes ea quæ Uſſerio repoſui, nunc quia id non feceris, ingentes tibi refero gratias.

EFFUGIUM XI.

NOn potes proprios errores defendere, & tamen Origenis & Armachani cauſam ſuſcipis. Jubes ut ex te diſcam, quid ſit γενεὰ, & vis ut tabellam quam adjeciſti inſpiciam. Sane video in hac tabella generationes appoſitas, ſed quid per generationes intellexeris non video. Quod ſi γενεὰς, ſive generationum intervalla, ſive ætates dicere volueris; jam in illo ipſo laterculo tuo uſque ad Abrahamum non ſunt plures quam XIX. ætates. Iſaacus Patriarcha viceſimam demum conſtituit γενεὰν. Viginti enim nomina ætates continent XIX. Ut itaque viginti generationum ſpatia fiant, neceſſe eſt XXI. Patriarchas ſtatuere. Cum enim γενεὰ,

ſive

ſive ætas ſit ſpatium à nativitate ad nativitatem, neceſſe eſt ut termini ætatum ipſas ætates unitate ſemper excedant.

Hæc cum ita ſint, & infinitis teſtimoniis evinci poſſint, mirifice tamen hic obſtrepis, ac mihi ignorantiam Græcæ linguæ objicis, ut qui neſciam quid ſit γενεά. Dic igitur miſelle, dic quæſo, quid hoc vocabuli ſibi velit. Hiſcas vel ſemel abſque errore ſi poſſis.

Vix autem riſum contineo cum dicis me ſudare & ceſpitare in defenſione Cainanis. Quid ergo ceſpitantem ſequeris? An gloſſa, quam vocas, vernaculis appoſita Bibliis, te mutavit, ut Cainanem apud Lucam nunc agnoſcas? Magna profecto ea vis eſt, quæ etiam invitum ad credendum compellit.

Quamvis autem toto hoc capite nihil niſi caſſum pulverem pedibus manibuſque ſpargere mihi videaris, triviale tamen hic promis argumentum, quo valde te effers. *Nam*, inquis, *ſi Judæi, qui ante Chriſtum fuerunt, codices ſuos corruperunt, non hoc tacuiſſet Chriſtus & Apoſtoli, qui alia eorum flagitia commemorant.* Quis librariorum errata, ex prava voluntate & corrumpendi ſtudio oriri ſemper dixerit? An non etiam hæc & quidem longe ſæpius,

ex incuria, properantia & cæcitate exemplatorum nascuntur? Nemo nisi stolidus hoc, ut puto, negaverit. Iam vero an Christus & Apostoli aliud quod agerent non habuere, quam ut librariorum errata corrigerent? An tibi rectius facturi fuisse videntur, si omissis iis quæ ad animarum salutem faciebant, huic tantum studio vacassent, ac in Synagogis & alibi de vocabulis, syllabis & literis, de apicibus denique & numeris disputassent? Hoc si quis verum esse existimet, quod addam non habeo. Verum si quis haud adeo in rebus humanis fuerit hospes, ut aut usu aut ratione cognoverit, plerosque illos errores qui in antiquis exstant monumentis, festinatione & negligentia potius librariorum, quam pravitate eorundem nata esse & propagata; idem quoque haud difficulter, ut puto, fatebitur, vastum illud argumentum tuum, quod quamvis tam diversis constat partibus, totum tamen uni nititur fundamento, pravitati nempe scribarum, solo unius rationis adflatu, in ventum & in nihilum penitus abire & dissipari.

EFFUGIUM XII.

QUamvis difficile sit toties audiendis iisdem nugis vacare, quia tamen ipse hanc mihi

poenam

pœnam indixi, ut tibi respondeam, æquum est ut acquiescam. Denuo itaque dico, pueriliter admodum te impingere, cum putas idem esse à Noacho esse decimum, & decima post diluvium ætate fuisse. Quid in verbis meis contradictionem quæris? Priusquam crimineris, fac primum ut scripta mea intelligas. Hoc ubi feceris, agnosces ne guttam quidem guttæ esse tam similem, quam verba mea sibi invicem constant. Dum vero mea carpis, vide qualia sint quæ ipse promis; *Utrumque verum est & Abrahamum decimum fuisse à Noacho, & decimum eorum qui post diluvium nati sunt, & decima post diluvium ætate vixisse. Vox enim γενεὰ hæc omnia significat.* Dic quomodo Abrahamus decimus esse potuerit eorum, qui post diluvium nati sunt, nisi Cainanem annumeraveris? dic quomodo una eademque vox tria tam diversa & contraria apud Berosum significare potuerit?

EFFUGIUM XIII.

NEgas versionem LXX. interpretum divinitus fuisse inspiratam. Vocas hanc Pontificiorum sententiam. An ergo Pontificia fuit tota Græcorum Ecclesia jam ab ipsis Apostolorum temporibus? Vel unum ex omnibus Græcis pa-

tribus edas, qui negarit θεοπνευστίαν, horum interpretum. Origenem sic, ut dicis, sensisse falsum est. Non hic Græcam versionem ex Hebræo codice mutavit, sed is notulis Grammaticalibus Aristarchi totam S Scripturam distinxit. Nihil expunxit, nihil addidit aut mutavit, nisi ex codicum fide. Verba ipsius Origenis ad Matthæum hæc sunt; Καί τινα μὲν ὠβελίσαμεν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ κείμενα, οὐ τολμήσαντες αὐτὰ πάντη περιελεῖν. Primus omnium Christianorum qui auctoritatem LXX. interpretum impugnaverit, fuit Hieronymus, obsecutus nempe Judæis. Sed non is persuasit B. Augustino, non aliis multis: è Græcis vero nemini, qui omnes constanter versionem hanc θεόπνευστον appellarunt. Sed & in ipsis Judæis rari sunt, qui hoc negent. Verum illi negant nos genuinam LXX interpretum versionem habere. Nempe aliter si statuerent, actum esset de eorum pertinacia.

EFFUGIUM XIV.

NOn video quid aut quem defendas. Relictis enim omnibus iis de quibus agendum erat, novas lites & nova vulnera intentas LXX. interpretibus. Primo quidem reprehendis quod ברא reddiderint ποιεῖν, & non potius κτίζειν. Putasti nempè

κτίζειν esse ex nihilo producere. Sed si verum sit, Hebraicam vocem ita accipi debere, ut volunt Judæorum magistri, jam nullum in ulla lingua vocabulum reperitur, quod huic respondeat. Sed neque in omnibus Græcorum monumentis vel unum invenies locum ubi κτίζειν sic positum occurrat.

Male quoque reprehendis LXX senes quod רקיע verterint στερέωμα, cum, inquis, cœli non sint solidi, sed fluidi. Atqui Job dicit cœlos fusos esse tanquam ex ære solidissimo. Hoc tibi sufficiat. Quod sequitur, hoc aliis dictum sit, nempe interpretes LXX. recte vertisse στερέωμα, id est, firmamentum aut fulcimentum. Per firmamentum in sacris literis nubes intelligendæ sunt. Illæ namque solæ superiores aquas ab inferioribus distinguunt, nec supra nubes ullæ aquæ concipi possunt. Iam vero firmamenti appellatio ideo recte tribuitur nubibus, quia istæ tanquam fulcra, vehicula & στερεώματα sint humorum. Attamen quum sol & luna in firmamento esse dicuntur, jam latius accipitur firmamenti vox, nempe pro toto eo spatio, quod supra nos est.

Male quoque carpuntur LXX quod Gen. III. v. 17. verterint ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου. Quin potius ex eo quod interpretes olim sic legerint,

mani-

manifeſtum in Codice Hebræo olim fuiſſe בענרך quam ſæpe ר & ד in S. ſcriptura invicem permutentur multis illuſtribus exemplis docuit jam Capellus.

Illud Gen. v. *& ambulavit Enoch cum Deo*, quod LXX. verterunt εὐηρέστησεν, probant & laudant inſignes quique Theologi. Quid demum hinc excudes bone vir ? An ex eo quod Græce ſciverint LXX. interpretes, efficies eos neſciviſſe Hebraice?

Eodem Geneſeos capite v. 29. cum dicis LXX. interpretes confudiſſe נוח & נחם ipſe tibi jugulum præſcindis. An non dictus eſt Noë à נוח ſive requie ? Si hoc verum, quomodo potuit à conſolatione nomen accipere nempe à נחם ? Vides itaque quanto melior ſit illa lectio, quam LXX. repræſentant interpretes, qui verterunt διαναπαύσει ἡμᾶς.

Sed & cap. VI. 3. cum vertunt LXX. interpr. *non permanebit ſpiritus meus cum homine*, rectiorem lectionem exhibent, quam exhibeat codex Hebræus hodiernus, *non diſceptabit ſpiritus meus cum homine.* Olim nempe Scriptum fuit ידום non ידון ut recte obſervatum Capello.

Septimo reprehendis interpretes hos, quod ינחם Geneſ. VI. 6. reddiderint ἐνεθυμήθη. Profecto

&

& hic insigniter nugaris. Rasi apud Mercerum in Gen. נחם interpretatur, *sententiam retractare, aliud quam prius cogitare, in aliam mutari cogitationem, institutum revocare, &c.* Recte itaque prædicti interpretes reddidere ἐνεθυμήθη, hoc est, *ad animum revocavit.*

Quam tu ridiculus qui ficulneis istis Masorethаrum armis instructus illos provocas, quorum ope & beneficio Apostoli eorumque discipuli universum pene orbem subjugarunt. Sic tamen me compellas miselle, *Audes versionem tam vitiosam vocare divinitus inspiratam? Profecto tibi putas rem esse cum peponibus.* Quis demum qui tua legerit, idem de te non existimet, quod Tertullianus de Marcione lib. IV. cap. XL.?

EFFUGIUM XV.

DEnuo ad stolidum tuum relaberis axioma, ac negas ex lectionum varietate sequi corruptionem Sacrorum librorum. Ostende igitur unde ista lectionum discrepantia, ostende quomodo quod ubique verum est, id in sacris voluminibus locum non habeat, ut ubi duplex Scriptura, ibi altera non sit vitiosa. Si utramque lectionem veram esse ostenderis, jam mihi eris Propheta. Ex

omnibus quotquot hactenus nati sunt hominibus, soli ita argumentantur Judæi, qui à Prophetis excogitatas nugantur duplices istas lectiones. Vides itaque, bone vir, quam sit frigidum tuum scomma, quantoque justius ego regeram, non sic tibi argumentandum, nisi ad Iudæos transire in animo habeas.

EFFUGIUM XVI.

ETiamsi probari possit, dicis, illam, quæ etiamnum exstat, esse genuinam LXX interpretum versionem, non tamen exinde sequi codices Hebræos esse corruptos. Nam, inquis, si ostendi possit ita scriptum fuisse ab istis interpretibus, jam te audere *absque ulla cunctatione adfirmare & certo statuere* LXX *interpretes annos Mosis studio & data opera corrupisse.* Rationem addis eos hoc fecisse *in gratiam Ægyptiorum, nempe ut ad eorum Chronologiam Iudæi propius accederent.* Hæc sunt valde stolida, imo & impia. Ipse alibi adstruis ex Philone, Iudæos maluisse potius millies mortem oppetere, quam vel unum verbum addere aut demere de lege sua. Nonne & LXX interpretes fuere Iudæi? Profecto longe nequiores aliis Iudæis eos fuisse oportet, qui in gratiam Ægyptiorum omnes mentiri, & legem suam

ſuam ſtudio corrumpere non dubitarint. Hoc ſcilicet permiſere tot millia Judæorum jam tum in Ægypto viventium; horum poſtea fraudi faverunt Philo & Joſephus, imo & ipſi Apoſtoli, & univerſa Chriſtiana Eccleſia: Illorum nempe intererat ut Moſes ad placita Ægyptiorum reformaretur. Sed vero LXX interpretes non Moſis Chronologiam extendiſſe, Manethonem autem ad normam mundanæ antiquitatis Moſaicæ, Ægyptiorum tempora prolongaſſe, & primum Ægypti regem Menem, qui diu poſt diſperſionem gentium vixit, Adamo æqualem feciſſe, clare adeo docuimus, ut nemo niſi ſtultus refragari poſſit.

Dicis nihil conſtare de ſanctitate LXX interpretum. At vero ipſe illos ſanctificat labor; ſanctificat Apoſtolorum, totiuſque adeo Eccleſiæ autoritas, conſenſus, & adprobatio. Ipſe denique eos ſanctificavit Deus, cum interpretibus illis tanquam totidem uſus eſt inſtrumentis ad explicandum gentibus legem & Prophetas, ac præmittere voluit horum verſionem, quo clarius poſtea eluceret Euangelii veritas, ac velut fundamentum & demonſtratio foret ſecuturæ doctrinæ Apoſtolicæ. Vide itaque quam temere interpretes hos

velut impostores traducas. Ne ipsi quidem Judæi, quantumvis maximo odio versionem hanc prosequantur, audent interpretibus maledicere. Philo in libro de vita Moysis, eos non tam interpretasse, quam prophetasse scribit. Sed & ipse Hieronymus, qui unus in tota veteri Ecclesia æquo iniquior fuit erga hanc versionem, auctoresque hujus non vates, sed interpretes fuisse scribit prologo in Pentateuchum, idem tamen in præfatione ad Paralipomena S. Sancti adflatum manifeste iis tribuit.

De loco Scaligeri non est quod aurem vellas. Etiamsi verum esset quidquid ille scripsit, nihil te juvaret. Cæterum peccat Scaliger cum locum Hermippi putat adversari Aristæo & Josepho, item cum versionem illam putat factam fuisse sub Philadelpho, quæ vivente etiamnum Lago fuit absoluta, licet Aristæus totum hoc beneficium Philadelpho tribuerit, quia nempe filius, sub quo scripsit, aliquamdiu simul cum patre regnarit. Verum & hæc, & nonnulla alia magni istius viri de hac translatione errata ad aptiorem locum reservamus.

EFFU-

EFFUGIUM XVII.

UT Joanni de Temporibus (quem Galli *Jean des Tamps*, non uttu *à Stampis* nominant) opem feras, ipse te ipsum jugulas. Dicis enim; *discrepantia non est in homine, sed in annis*; *quidam enim ei annos tantum centum sexaginta tribuunt.* Dixeras prius CCCLXI annos vixisse. Sed, ut video, quod fabula fuerat, incipit esse verum.

Quæ sequitur ratiocinatio, plane prophetica est; *Si dantur longævi, dantur etiam qui decimum vel decimum quintum nepotem videre possint.* Tantundem est, ac si quis diceret, quia dantur qui ad centum & quinquaginta annos vivunt, dantur etiam qui ad mille vel bis mille annos vitam prorogant. Quis vero qui te tam pulcre argumentantem audierit, non existimet, animam Aristotelis in pectus tuum migrasse?

EFFUGIUM XVIII.

MOnueram ne Ectenum Lelegumque mentionem faceres, facis tamen. Ut itaque ostendas Ectenas & Lelegas ante Abrahamum in Græcia regnasse, promis locum Pausaniæ, ubi dicit Ectenas dictos fuisse primos Bœotiæ incolas,

regemque eorum fuiſſe Ogygum. Rectius profecto terrigenam iſtum non ſuſcitaſſes, magnas enim ille turbas poſſit dare in tua Chronologia. Quotquot enim ſunt Chronologi, in eo omnes conveniunt, ut Ogygum Abrahamo recentiorem faciant. Euſebius Joſepho æqualem ſtatuit, alij, iique plures numero, poſt Moyſem demum floruiſſe cenſent. Quod ſi omnes iſtos erraſſe dixeris, & Noachum & Ogygum eundem fuiſſe putes, jam abſurdior erit error, & neceſſe erit ut credas Noachum in Græcia regnaſſe, & regnum illud fuiſſe antiquius diluvio.

Alter terrigena eſt Lelex. Hunc ut Abrahamo vetuſtiorem facias, tale inſtituis enthymema. Quia iſta Lelex primus in Laconica Lelegum fuit rex, ergo regnum Lelegum eſt vetuſtius Abrahamo. Videamus an hoc verum ſit, & an rectè Pauſaniam intellexeris. Is itaque in Atticis dicit, Lelegem duodecim ætatibus poſt Carem Phoronei filium ex Ægypto in Laconicam adpuliſſe, & ab eo Leleges nomen accepiſſe. Lelegis filius fuit Cleſo, Cleſonis Pylas, Pylæ vero Scyron. Huic Scyroni nupſit filia Pandionis quinti Athenarum regis. Nepos ergo Lelegis, æqualis fuit Pandioni regi. Jam vero ab obitu Abrahami uſque ad initium

tium Pandionis colligit Eusebius annos 404, alii etiam plures. Manifestum itaque Abrahamum pluribus quam trecentis annis vetustiorum esse Lelege. Vide quam pulcris emblematis distincta sit tua Chronologia. Prodeas tandem, ô bella, procedas, & parentem sic vultu referas, ut etiam ab insciis noscitere.

EFFUGIUM XIX.

OStendere conaris, quod virum faciat ætas, non conjugium aut ipse generationis actus. Ratio tua hæc est, quod hactenus te virum esse credideris. Mox dein negas ipsum generationis actum facere virum, nam inquis, *sufficit potentia generandi*. An non vides, vir bone, te nec bene, nec fortiter argumentari? Ipse temetipsum destruis. Nam si potentia generandi faciat virum, jam falsum est, quod sola virum faciat ætas, steriles enim nunquam sunt viri, pueris vero sæpe adest gignendi potentia. Me vero recte esse locutum nemo cordatus infitiabitur. Quamvis enim viri appellatio multis modis accipiatur, nempe ratione ætatis, conjugij, roboris, prudentiæ aliarumque virtutum; ratio tamen exigit & usus comprobavit, ut si principalem hujus vocabuli significationem

expri-

exprimere velimus, is demum vir ſit, qui prolem gignit, aut ſe gignere poſſe oſtendit. Ut autem aliquis talis cenſeatur, non ſola ſufficit gignendi potentia, actu ipſo demonſtret neceſſe eſt virum ſe eſſe. Pari ratione puella aut virgo quantumvis matura viro, non tamen eſt mulier. Sed ſi pariat aut concipiat, jam deſinit eſſe puella, & fit mulier cujuſcunq; demum ætatis fuerit. Ut itaque mulieris indicium eſt peperiſſe, ita viri genuiſſe. Sedis ſtercoreæ quorſum mentionem feceris non video. Metuebas ſcilicet ne in tonſtrinis in deſuetudinem abiret tam lepida fabella.

EFFUGIUM XX.

TAnquam non ſatis eſſet ſemel vapulaſſe, denuo ficulneis confiſus armis contra Joſephum inſurgis, ut eum Hebraice neſciſſe oſtendas. Alia itaque exempla imperitiæ ejus in lingua Hebræa promere conaris, ac ſi priora bene & feliciter ſucceſſiſſent. Primo itaque dicis nihil ineptius & falſius eſſe eo quod Joſephus dicit, Samſonem à fortitudine ſic dictum, שמש enim Hebræis & Chaldæis Solem ſignificare. Erras bone vir. Samſonis nomen eſt à שמש & און pro quo etiam ון ſcribitur. שמשון itaque ad verbum fuerit *Sol fortitudinis*, quem

quem Hebraiſmum Joſephus uno verbo complexus eſt ἰσχυρὸν reddendo.

Altera accuſatio eſt quod נעמי verterit ἀτυχίαν, cum ſignificet *amœna*, *pulchra*. Sed vocabulum hoc multo latius patet, nam & felicitatem, perfectionem, opimitatem, & ἀπαθίαν notat, uti illud reddidere LXX interpretes Iob. 36. 11.

Valde vero es ridiculus cum reprehendis quod מרה *amara* ipſe ὀδύνην interpretatus ſit. An neſcis πικρίαν & ὀδύνην, πικρὸν & ὀδυνηρὸν, & apud Latinos dolorem & amaritiem pro eodem accipi? Deſine rogo nugari, & ſi LXX interpretibus non credis, qui & ipſi 1. Sam. 15. 23. vocabulum hoc ὀδύνην reddidere, crede ſaltem rationi, dummodo aliquis huic apud te locus ſuperſit.

Rubenis vel Rubelis nomen recte interpretatur Joſephus *miſericordiam Dei*. Quis enim neſcit non in Hebræa tantum, ſed in omnibus linguis L in N ſæpe tranſire, & B & M promiſcuas eſſe literas?

Nephthalim, inquis, *Joſepho* ἀμηχάνητος, *cum ſit luctator*. Bis peccas, neque enim veram Joſephi lectionem promis, nec recte luctatorem explicas. Apud Joſephum pro ἐυμηχάνητος, quod nullum ſenſum hoc loco exhibet, legendum eſt ἐκ μηχανήματος. Sic in ſuo quoque codice olim reperiſſe videtur

Ruffinus, vertit enim *tanquam ex machinationibus*. נפתלי vero non luctatorem tantum, sed & artem malam, fraudem & versutiam notat. Recte itaque Josephus Niphthalim interpretatur ex arte & machinatione natum.

Zabulon Josepho ἐνεχυρασμένος εὐνοίᾳ. Tu reprehendis & habitatorem interpretaris. Iterum falleris. Zabulon non dictus à זבל *habitare*, sed à זה חבל *hic oppigneratus*. LXX interpretes compluribus locis חבל reddidere ἐνεχυράζειν.

Locus de Benjamine manifeste in mendo cubat. Sic puto prius scriptum fuisse; τὸ ἐξ αὐτῆς παιδίον Βενιαμὶν ἐκάλεσε πρότερον καλούμενον Βενονὶ διὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ γενομένην ὀδύνην τῇ μητρί.

EFFUGIUM XXI.

DEbueras ostendere Noachum usque ad tempora Abrahami pertigisse, & Semum XV nepotem vidisse, verum tu eo relicto adstruere conaris apud varias gentes obscuram quandam Noachi memoriam fuisse conservatam, quasi vero hoc aliquis unquam negarit. Ut tamen hoc evincas, primo mentionem facis regis Vitey, qui nunquam in rerum exstitit natura: deinde Prophetice dicis Noachum regnasse in propria familia usque

ad

ad disperſionem gentium, ac ſi univerſus orbis non fuiſſet familia Noachi; poſt diſperſionem vero gentium ubinam vixerit non addis, ſed Semum dicis habitaſſe in pelle ſua. Hem argutias!

EFFUGIUM XXII.

USſerius vindicatur à criminatione. Dixeram Uſſerium mutilaſſe æram Babyloniorum, ut conſuleret Judæis hodiernis. Exclamas; *Tune audes Chriſtianos, qui codicem Hebræum ſequuntur, Judæos hodiernos appellare?* Compeſce bilem, bone vir, neque enim Iudæis conſulere eſt eſſe Iudæum.

EFFUGIUM XXIII.

IRaſci mihi videris quod Perſice neſciam: ego vero miſereor tui quod Græca toties tractes, cum tamen Græce ne legere quidem poſſis. Sed quandoquidem tu æque Perſice noris, atque ego, licet mihi æque ac tibi ad illos provocare qui Perſice ſciunt. Pro me itaque loquatur Petrus Teixera in Chronico Perſico, cujus verba ſic Latine ſonant; *Solent Perſæ nomine Sinarum comprehendere quidquid eſt ultra provinciam Maurenahar, totam nempe Tatariam, Kethao Kothan (quam vulgo Cathajam appellamus) denique Sinas & quidquid porro terrarum eſt, adeo-*

qui ipsum Tatarorum regem ac dominum, vocant regem Sinarum. Quemadmodum enim nos Indiam appellamus fere quidquid soli Orienti subjacet; ita Persæ Sinas vocant non ipsos tantum Sinas, verum etiam plerasquegentes & regna his contermina. Ne ipse quidem Jacobus Golius, vir longe clarissimus, negabit, ut opinor, ut Sinarum nomen versus Austrum longe latius patet, quam Cathayæ; ita Cathayæ vocabulum longe ultra murum, & id quod vulgo Sinam vocamus, occidentem versus extendi.

EFFUGIUM XXIV.

VOcas me pulchellum. Nempe putas rem tibi esse cum Acide. Cave ne Ulysses tibi sim. Noli vero me sic argumentantem introducere, *qui peritus est cœlestium, ille est primus inventor Astrologiæ*, sed potius vice versa, qui Astrologiæ inventor fuisse creditur, ille quoque creditur siderali prædictus fuisse scientia. Quod dicis Abrahamum Astrologiam discere potuisse à Chaldæis, id fieri non potuit, necdum enim erant Chaldæi. Eupolemum nulla auctoritate Abrahamo, inventionem Astrologiæ attribuisse scribis, quum tamen idem fere dixerint qui illum præcessere Berosus & Ægyptij; idemque postea confirmarint Philo, Josephus

ſephus ac complures è Patribus. Tu vero, niſi Propheta es, unde habes Eupolemum & Philonem hæc finxiſſe? Quam vero ridiculum quod ex Moyſe probare conaris, Abrahamum fuiſſe Aſtronomiæ ignarum, quia Gen. x v. *ſtellas numerare jubetur, tanquam rem ſibi incognitam*. An non hoc eſt pari modo argumentari, atque factitabat olim fraterculus quidam, qui dicebat Chriſtum ideo juſſiſſe Petro gladium recondere, quia imperitus erat artis gladiatoriæ? nam, inquiebat, animus huic erat caput Malcho amputare, ſolam vero abſtulit auriculam. Quam putidum eſt in Sacris ludere? Quanto rectius illi, qui ex hoc geneſeos loco contra aſtronomos quoſdam pertendunt, infinitum eſſe ſiderum numerum; Quod autem dicis Chaldæos certum tantum ſtellarum numerum cognoviſſe, unde hauſiſti? An non plerique fere antiquorum, Chryſippus, Ariſtoteles, Cleomedes ac infiniti alij confeſſi ſunt, præter ſtellas perceptibiles, eſſe quoque innumerabiles alias? Cum vero exiſtimas viæ lacteæ ſidera ope demum teleſcopij eſſe detecta, & tum quoque falleris. Agnovere hæc etiam abſque teleſcopiis Democritus & alii. Cum dicis Aſtronomiam à Chamo traditam Chuſo & Nimrodo, vide quam abſurdus es, quum

hos facias aſtronomos, Abrahamum vero nihil minus quam aſtra curaſſe & noviſſe exiſtimas. An non hoc eſt vaticinari? Vide quam multos in brevi ſpatio committas errores, & quam omnia quæ corradis tela, in caput tuum reſiliant. Si aliquid ſalis in pectuſculo iſtoc fuiſſet, meliora ſaltem pro antiquitate Aſtrologiæ teſtimonia petere potuiſſes ex Alexandri Polyhiſtoris fragmento de diluvio, ex Plinio, Epiphanio, ac denique ex Sinenſium annalibus, ſed profecto ex alienis tantum ſapis collectaneis.

EFFUGIUM XXV.

FRuſtra Bocharti locum promis. Magnus ille vir non tantum æquo patitur animo, verum etiam impenſiſſime amat à ſe diſſentientes, dummodo non ut tu feciſti, ſed pudenter, modeſte, & non ſine ratione id faciant.

EFFUGIUM XXVI.

ET hic quoque bella admodum jocandi ſe offert occaſio, ſed abſtinebo, jam dudum enim miſeret me tui. Oſtendi tibi errorem quem commiſiſti numerando 50000, oſtendi quoq; modum quem tenere debueras. Monui ſic diſponendos eſſe nume-

numeros; Ex 72 fiunt viri 600000 ſpatio annorum 215 quæritur quot viri naſcentur è 6 ſpatio annorum 100? Tu non dicis futuros pauciores 350 uti ego dixi, ſed 23255. Vir bone, Vir beate, falleris & quidem plurimum. Regula trium, & regula quinque, ut vocant, locum hic non habet; ut vera cognoſcatur proportio numerorum ad numeros, & annorum ad annos, longe aliter ratiocinandum. Nam ſi hic tuus calculus procederet, ut ex ſex ſpatio centum annorum naſcerentur 23255, jam ex iiſdem illis ſex ſpatio ducentorum annorum procrearentur viri 90132504. Quod ſi præterea quindecim iſtorum annorum rationem habueris, ac illos quoque prædictæ ſummæ addideris, tam immenſus fiet numerus, ut ne omnes quidem quotquot in orbe ſunt viri ſummam hanc æquent. Alius itaq; inſtituendus eſt calculus, qui quo facilior evadat, ſic faciendum; 72 dant 600000, ergo ſinguli dant 8333⅓. Dein ſic pergendum; ab uno viro ſpatio 215 annorum procreantur viri 8333, quæritur quantum ab illo uno procreari poſſint ſpatio centum annorum? Dico futuros 66. Hoc ſic probo. Si ex uno viro ſpatio centum annorum naſcantur 66 viri, jam quoque ab illis 66 ſecundo ſeculo itidem ſpatio 100 annorum producentur

ducentur viri 4356. Ab his iterum eadem proportione tertio ſeculo procreabuntur 287496. Jam ut ſciamus quot viri naſci potuerint hac ratione anno poſt Diluvium 215 ſic pergendum. Multiplica numerum 287496 per 4356, & producti ſume radicem quadratam, quæ erit 35388. Hæc quia eſt medium proportionale inter 200 & 300 convenit anno poſt diluvium 250. Iterum dein, ea qua diximus ratione, quære medium proportionale inter 4356, & 35388 & invenies 12415. Hunc numerum refer ad annum 225. Medium proportionale inter 4356 & 12415 eſt 7354. Hic numerus convenit anno $212\frac{1}{2}$. Anno $218\frac{3}{4}$ cõvenit numerus 9555, ac tandem pari ratione progrediendo, invenies anno $215\frac{5}{8}$ convenire numerum 8383. Hic eſt numerus quem quærimus, quique quamproxime accedit, ad illum quem nominavimus. Dico itaque ſi ex uno viro ſpatio 215 annorum procreentur viri 8383, jam 100 annorum ſpatio non poſſe plures ab uno gigni quam 66. Uti autem in Ægypto à 72 viris facta eſt multiplicatio, ita ſtatim poſt diluvium à tribus Noachi filiis. Triplicetur itaque hic numerus & tum talis ubique exurget proportio virorum ad ſingula temporum ſpatia, qualem hic repræſentamus.

Anni

Anni post diluvium	*Numerus virorum qui ex tribus Noachi filiis nasci potuerunt, subductus ad rationem maxima multiplicationis qua in Ægypto facta est.*
1	3
50	24
75	69
100	198
125	664
150	1605
175	4581
200	13068
$212\frac{1}{2}$	22062
$215\frac{5}{8}$	25149
$218\frac{3}{4}$	28665
225	37245
250	106164
275	302580
300	862488

Primo itaque post diluvium seculo ne ducenti quidem fuere homines. Redi nunc ad Arithmeticum tuum, ac judicet is uter nostrum rectius calculum posuerit.

EFFUGIUM XXVII.

FOecundus est valde tuus abacus. Mirum quam multa Patriarcharum millia in turmas digesta, in chartam excusseris tanquam ex fritillo. Ex tribus Noachidis decennij spatio natos fuisse dicis triginta filios, ita ut unicuique decem minimum fuerint. Ex illis triginta spatio totidem an-

norum alios trecentos, ex iftis ter mille, & fic porro. Quod natura non potuit nifi longo tempore, id compendio præftitifti; momento enim reparafti totum humanum genus. Magis mirandam hanc multiplicationem efficit ipfe procreationis modus. Omnes enim ifti Patriarchæ fua fponte fuere fœcundi, abfque conjugibus. Manifeftum hoc ex tuis verbis, & tua fit supputatione. Intervalla enim generationum facis annorum triginta. Singulis Patriarchis denos tribuis filios. Ex fingulis denis fpatio xxx annorum fingulos centenos facis nafci. Nulla hic mentio feminarum, quas fi admifcere volueris, jam deftruis numerum marium, ac proinde totum tuum calculum. Neceffarium itaque ut fi hunc defendere volueris, dicas Patriarchas iftos utriufque fuiffe fexus, ac è feipfis gignere potuiffe, aut femper geminos fuiffe editos, marem nempe & feminam, aut denique ftatim poft diluvium mulieres præcife fingulis femeftribus peperiffe.

Aliud tuum argumentum, quo immenfam iftam multiplicationem adftruere conaris, eft quod dicis polygamiam & concubinatum ftatim poft diluvium in ufu fuiffe. Quamvis non ignorem multos fic exiftimare polygamia augeri genus humanum,

non

non tamen horum auctoritas obest; quominus id armentum non sit futile & veritati contrarium. Polygamia & concubinarum numerus id tantum efficit, ut ab uno homine multi possint procreari, sed si universum genus humanum, aut gentem aliquam integram consideremus, tantum abest ut prosit, ut exinde destruatur potius, quam augeatur hominum numerus. Hinc est quod apud castas gentes, ubi singulæ singulis junguntur maxima sit hominum fœcunditas. Absurdum est itaque dicere primos post Noachum Patriarchas concubinarios fuisse, aut si fuerint, accrementum id adtulisse generi humano. Nemo vel paulo nasutior dubitat, quin tempore illo, quo ducentæ tantum aut trecentæ erant mulieres, si omnes uni nupsissent Patriarchæ, longæ rarior futurus fuisset hominum proventus.

EFFUGIUM XXVIII.

CAtalogum Regum Assyriorum non ex Scaligero, sed ex Georgii Syncelli Chronico describere debueras. Inde enim illa Africani, omniaque adeo Eusebiana fragmenta hausit Scaliger. Sed quia apographum quod Scaligero transmissum fuit raptim & vitiose admodum descripserat Ca-

ſaubonus neſcio an alius, ideo plurimi paſſim in hoc opere, tam in annis, quam in nominibus errores fuere commiſſi.

Cum me reprehendis quod dixerim χοῶ & ἄσβολον idem ſignificare, ſtrenue more tuo nugaris. Nihil minus quam ad Hebræum חום reſpexi ſed probavi conjecturam Bocharti legentis χοῶ non χοῦμ ut vulgo. Græcis enim idem eſt χοῦς & ἄσβολος, accipiturque utrunque vocabulum pro favilla, pulvere tenuiore & combuſto.

EFFUGIUM XXIX.

DEſine quæſo ex Chuſæis Chaldæos formare, ac puta ſatius eſſe etiam hoc loco prolepſin admittere, quam ineptire. Si Bocharti ſcripta diligenter legeris, fac ut etiam intelligas. Id autem fiet, quando tua minus tibi placebunt.

EFFUGIUM XXX.

MIſraimum fuiſſe conditorem regni Ægyptiorum nuſquam negavi. Licet vero negaſſem, non peccaſſem tamen, non enim ſemper verum genarchas fuiſſe reges in familia ſua, ſæpe quippe inobedientes erant filii & nepotes.

Uſſerium dicis non ex ſolo Manaſſe calculum

ſuum

ſuum Ægyptiacum hauſiſſe. Unde igitur? De aliis Abimelechis, qui Saræ amore exarſerint, ut Manaſſi & Uſſerio patrocineris, quantas promis nugas? Quam etiam hoc ineptum quod me reprehendis, quia in Ægypto dixi regnatum à regibus Ægyptiis etiam poſt Cambyſem? An octo illi reges Ægyptii, qui ſucceſſive poſt Cambyſem in Ægypto regnarunt, non fuere legitimi reges? An ergo Diodorus & tot alii Hiſtorici mentiti ſunt? Paucis verbis rem expedit Euſebius, cujus verba ad annum M. DC. LXVI. hæc ſunt; ÆGYPTIORUM REGNUM DESTRUCTUM. Septimum ætatis annum agebat tum Alexander Magnus. Vide quam parum ſecura ſint effugia tua.

EFFUGIUM XXXI.

ITerum dico non ex apographo, quo fuit uſus Scaliger, ſed ex ipſo Syncello nomina iſtæc Aſſyriaca promere debueras. Quam vero es feſtivus, quum pleraque hæc nomina Græca eſſe vis! Δερκύλος Græcum tibi eſt vocabulum, quia nempe tali fere nomine fuit quidam qui Græce ſcripſerit. Hoc perinde eſt ac ſi dixiſſes, Beroſus, Manethos & Joſephus Græca ſunt vocabula, quia Græce ſcripſerunt. Quia ἐυ Græcum eſt ideo totum Εὐπάχμης

 Græcum

Græcum eſt. Πανυᾶς Græcum, quia Πανύασις Græcus fuit. Λαμπτεὺς Græcum, quia duo priores ſyllabæ Græcum efficiunt vocabulum. Quid demum Græcum non fiet hoc pacto? Et tamen, tanquam re bene geſta addis; *Tune an ego imperiti in lingua Græca ſimus, nunc ipſe judica.* Imo vel tu ipſe arbiter eſto, & ſi hæc ſpecimina tibi non ſufficere videantur, unde judicium feras, accipe etiam iſtæc. In præfatione ad Origines Gallicas Boxhornii, ut oſtendas Ἐξαμπαῖος ſive ἀμαξάμπος apud Herodotum eſſe vocabulum Scythicum, hæc ſubdis; *Apud Euripidem in Oreſte exſtat* Ἀμαξήρη, *quod Scholiaſtes ex Leophoro* ὁδὸν δημοσίαν, *id eſt, publicam viam explicat.* Prodigioſus error. Locus Euripidis quem citas exſtat in Oreſte verſu 1253, τὴν δ᾽ ἀμαξήρη τρίβειν. Annotavit ad hunc locum Scholiaſtes, κατὰ τὴν λεωφόρον ὁδὸν, τὴν δημοσίαν. Tu bone vir, qui ne quidem Græce legere potes, putaſti ſcriptum eſſe τὸν λεωφόρον; credidiſti inſuper Leophorum nomen eſſe ſcriptoris alicujus, iſtum vero ſcriptorem vocabulum ἀμαξήρη interpretatum eſſe *viam publicam*, & inde demum concludis vocabulum hoc factum eſſe ex Scythico Ἀμαξάμπος. Adeone quis in Græcis ſit puer, ut neſciat ἀμαξήρης formari ab ἅμαξα, idemque eſſe, ac ſit λεωφόρος? Etiamſi aliquis evolverit quid-

quidquid usquam est ineptiarum, haud tamen facile tam longam errorum seriem invenerit. Verum non hic desinis, sed audi versu sequenti quod subjungis. In Etymologico Magno Σιλληνὶς inquis est χοιροβοσκός. Putas nempe hoc vocabulum subulcum significare, allusione facta ad nescio quam Scythicam vocem. Falleris vir nimium bone, Χοιροβοσκὸς non hic subulcum aut porcum significat, sed est nomen celeberrimi Grammatici. In hoc ipso Etymologico utramque facit paginam nomen Georgij Chœrobosci. Quin etiam nonnulla hujus Chœrobosci scripta jam olim in lucem prodierunt. Ut itaque paulo ante è via publica formasti Leophorum scriptorem, sic hic nobilis olim Grammatici nomen in porcum & subulcum deformasti. Sed profecto nullus esset finis si vel unicam illam pagellam percurrerem. Ne itaque nimium tibi videar Orbilius, desinam. Pergamus ad sequentia.

Quum dicis Herodotum meminisse Ninyæ, falleris; Sardanapali meminit quidem, sed non addito tempore. Nihil itaque ex istoc Herodoti loco efficitur. Urges tamen locum Herodoti, cui soli nititur Armachani opinio. Diodorus recensens Herodoti opinionem quingentos hic tantum repræ-

repræſentat annos, non 520. Probo conjecturam eruditiſſimi viri Johannis Marſhami, qui pro εἴκοσι ſive κ reponendum cenſet ᾳ, ut jam ſecundum Herodotum non quingentis tantum & viginti, ſed mille quingentis annis ſteterit Aſſyriorum imperium. Nec dubito quin etiam apud Diodorum millenarius exciderit. Aliter enim ſi eſſet, non abſque reprehenſione iſtum Herodoti locum eſſet prætervectus. Unde iſtud *paulatim* hauſerim, non quæreres, ſi Græce intelligeres, & Herodoti locum conſideraſſes. Verba Dionyſij Halicarnaſſenſis non recte interpretaris. Dicit is in initio operis Aſſyriorum regnum adeo eſſe antiquum ut totum fere referatur ad id tempus, quod fabuloſum à Græcis appellatur. Hinc tu ſic argumentaris. Si regnum iſtud fabuloſo fuit ſeculo, ergo fuit fabuloſum. Hoc perinde eſt, ac ſi quis diceret, quia Græci fabuloſum vocant, quicquid Olympiadas præcedit, ideo quæ de Moyſe & Samſone dicuntur, meras eſſe fabellas.

EFFUGIUM XXXII.

HIc denuo nugarum ſpargis Oceanum. Ut oſtendas Serum tempora non pertingere ad tria annorum millia ante natum Chriſtum, tanquam

quam empuſa mille induis formas, ut Sinicam evadas arithmeticam. Dicis Martinium aliter ſenſiſſe, ac ſcripſerit. Mirus profectò es mortalis, qui quid ſentiat Martinius melius noris, quam ipſemet noverit Martinins. Verſatur jam nunc ejus Hiſtoria in omnium manibus, certam, conſtantem, & non interruptam quater mille ſexcentorum annorum Hiſtoriam continens. Tandem aliquando ſi potes reſipiſce, aut ſi hoc non potes, deſine ſaltem palam ineptire.

EFFUGIUM XXXIII.

NE monitus quidem à nugis tibi potes temperare. Denuo hic in ſcenam producis Confutium tanquam Scriptorum omnium antiquiſſimum, & à quo ſolo tota Hiſtoriæ Sinicæ veritas dependeat. Si pudor eſt, lege vel priores ſaltem Hiſtoriæ Sinicæ pagellas, & agnoſce quam imprudenter hæc, vel à te, vel ab illis, quos ſecutus es, confictafuere.

EFFUGIUM XXXIV.

UT vara vibiam, ſic apud te ineptiæ ſequuntur ineptias. Scythas Hippophagos à Seribus diſtinguit Ptolemæus. Errore hoc factum eſſe

contendis. Sic enim argumentaris, quia Scythæ & Seres identidem equina vescuntur, ergo Scythæ & Seres sunt iidem. An itaque Sarmatæ & Medi sunt Seres, nam & hi equina vescuntur apud eundem Ptolemæum? Quis nescit omnibus fere Scythis & Thracibus hoc commune fuisse? Profecto pudet talibus argumentis aliquid reponere.

EFFUGIUM XXXV.

NEcdum de Sinis tuis desinis nugari. Iterum Martinium vis docere, non tantum quid credere debuerit, sed etiam quid crediderit. Adeone insanus ille fuit, ut quid senserit ignorarit? Tandem aliquando resipisce & noli Sinas & Martinium Chronologiam Sinensem docere.

EFFUGIUM XXXVI.

QUum aliud quod agas non habeas, nihilque quod alicujus momenti sit carpere possis, muscas demum venaris, & in librarios valde es strenuus, quia eorum culpa anni familiæ Cheva & Hana, tribuuntur aliis duabus, Xanga nempe & Tanga. Sed sive huic sive alteri familiæ anni isti tribuantur, idem manet annorum numerus, nec propterea vel unius anni detrimentum patietur

Chro-

Chronologia Sinica. Potuiſſes & aliud monere, quod tamen aliquanto majoris fuiſſet momenti, peccatum eſſe etiam in illis numeris unde aliquid damni infligatur Hiſtoriæ Sinicæ, initium nempe temporis Hiſtorici juxta Martinium referendum eſt ad annum 2837 ante Chriſtum, non 2847. A Xinnungo enim initium repetit, quia de annis Fohii primi regis controverſia eſt apud Scriptores Sinicos.

Verum hæc aliaque id genus minuta, nè hilum quidem officiunt veritati Sericorum annalium. Adeo illi ſibi conſtant, adeoque certis & indubitatis nituntur argumentis, ut ſi horum fidem in dubium vocare velimus, nihil demum ſit futurum de quo dubitare non poſſimus. Vel illi ſoli ſufficiunt ad evincendam calculi quem inſtituimus veritatem. Et tamen non deſunt complures eruditiſſimi viri, qui etiam abſque his, cæteris rationibus noſtris libenter adquieſcunt.

EFFUGIUM XXXVII.

NEcdum ſatis lotus tibi videris, vis denuo perlui. Poſtquam arbitros elegiſti, quos tamen non tam benignos, ut puto, experiere, quam exiſtimas, denuo doces urſos delectari lucis

confitis & fpecubus rofcidis, idque mihi notum effe putas. Ego tamen hoc juxta cum ignariffimis nefcio. Pauci urfi fylvas incolunt, fi comparentur cum iis qui in concretis & pifcofis degunt æquoribus. Prædam illi fectantur & frigora, non lucos, aut rorem, aut amœnitates, quibus plane deftituuntur loca polo vicina, ubi tamen præcipua eft urforum patria.

Dicis te cœli orbes vocaffe cataractas cœli. Potuiffes fimili jure camelum vocare cucurbitam. Orbes in cœlo nulli nifi fidera ipfa, & orbes quos motu fuo defcribunt. Quæris quid ergo funt cataractæ cœli in S. Sriptura? Vellem hic me expedire, modum tamen quem infiftam non invenio. Cæco colores & furdis fuavitatem muficæ velle explicare perquam eft difficile. Si fcires undenam ordinariæ profifcantur pluviæ, jam quoque fcires undenam illæ cecidiffent aquæ, quibus diluvij tempore terra obruta fuit. Sive enim ordinarie, five præter ordinem naturæ condenfetur illa aeris regio unde defcendunt imbres, illi nihilominus indidem femper oriuntur.

De centro globi quæ dixifti, fruftra diffimulas. Non es tam fimplex, ut nefcias, quid per collectanea intellexerim. Ecce ipfa tua verba; *Omne*

pun-

punctum in globo, ejus statui potest medium. Non loqueris hic de circulo in globo descripto, sed de globi ipsius centro. Ratio vero quam subdis valde est festiva, *quia ab omni puncto circuli ad centrum lineæ sunt æquales.* Quis non obstupescat tam vehementi ratiocinio, quia circuli centrum est in medio, ideo globi centrum est ubique?

EFFUGIUM XXXVIII.

HIc denuo Græce conaris. Dicis à Thucydide universum terrarum orbem ἤπειρον vocari. Misere falleris. Thucydides hoc loco manifeste insulas & ἤπειρον distinguit, & ne quidem designat quantam orbis partem continentem appellarit. Magis etiamnum es ridiculus cum apud Herodianum continentem terram pro insulis accipi scribis. Hoc ut efficias tale struis argumentum; Quia Europam & Asiam Pontus dirimit, ideo insulæ inter utramque continentem sitæ sunt continens. Quis non miretur tuum acumen? Bone vir, si putas te alios posse fallere tam inepto enthymemate, ac persuadere continentem ac insulas idem esse; turpiter teipsum fallis. Quin etiam hoc tuum argumentum quam est ridiculum, quia Josephus dicit aquam quindecim cubitis supra terram exstitisse,

 tisse,

tiſſe, ergo univerſus terrarum orbis diluvio fuit ſubmerſus. Quis adeo in Græcis eſt puer, ut neſciat γῆν æque palmum terræ, quam univerſam terram ſignificare?

Cum meræ fuerint ineptiæ pleraque ea quæ contra Joſephum hactenus adtuliſti, non tamen deſinis porro nugis tuis illum impetere. Quia vero admodum obtuſa ſunt tua tela, meliora à Bocharto arma mutuare conaris. Attamen ne ſic quidem aliquid proficis. Eſto enim ut in unius alteriuſque vocabuli etymo Joſephus errarit, quid demum inde concludes miſelle? An ex eo quod Plato & Varro in etymis indagandis valde fuere infelices, efficere te poſſe ſperas, ut ille Græce, hic vero Latine neſcirit? Noli itaque putare me furere cum negas Joſephum in Hebraicis fuiſſe verſatum, quin potius amentiam tuam rideo.

EFFUGIUM POSTREMUM.

QUis non miretur ingenium tuum, cum me diluvium celeritate rangiferorum eluſiſſe ſcribis? Proculdubio tibi commercium eſt cum rangiferis, neque enim aliunde id intelligere potuiſſes. An forſan è cella vinaria tam profundæ ſubtilitatis acumen hauſiſti? Illuc nempe divertere voluiſti,